

VIII. Denique pro hac sententia videri potest D. Thomas in iv, dist. viii, quæst. ii, art. iii ad tertium, ubi docet: « Dari actionem instrumentalem ad transsubstantiationem, et similiter potuisse dari ad formationem corporis Christi, et conceptionem. » Addit tamen: « Quod si in conceptione includatur unio, major difficultas est in conceptione Christi, quam in transsubstantiatione. » Illa autem major difficultas, de qua ibi loquebatur, est quoad actionem instrumentalem, de qua ibi erat sermo: ergo illam negat D. Thomas pro unione, licet concedat pro transsubstantiatione.

QUESTIO III.

DE MODO UNIONIS EX PARTE

PERSONÆ ASSUMENTIS.

Duo disputat D. Thomas in hac quæstione; alterum de principio, seu persona assumente: alterum de modo assumendi. Et in primis quinque articulis ostendit, quod Personæ divinæ convenit assumere, non autem naturæ secundum formalitatem, et officium naturæ. Potest tamen convenire subsistentiæ absolutæ, quæ maneret in Deo remotis personalitatibus relativis; et quod potest una Persona assumere naturam sine alia, ut modo factum est; et quod quælibet Persona potest assumere. In reliquis autem articulis agit de modo assumendi naturam, et etiam ostendendo, quod plures Personæ divinæ possunt assumere eandem numero naturam; et etiam e converso, una Persona plures naturas. Denique in articulo ultimo ostendit convenientias, ut potius secunda Persona, quæ est Filius assumeret naturam humanam, quam aliæ.

DISPUTATIO VI.

DE PERSONA ASSUMENTE.

—

ARTICULUS I.

Utrum implicet personalitatem creatam terminare alienam naturam?

I. D. Thomas articulo primo ad secundum affirmat proprium esse: « Divinæ Personæ propter ejus infinitatem terminare alienam naturam, » ubi reddidit rationem, quare persona creata terminare non possit, scilicet, quia non est infinita in ratione personæ. In quo tamen est magna difficultas, quare requiratur infinitas in persona ad talem terminationem. Et in primis objectio Scoti, quia personalitas ut distincta a

Patre, et secundum id, quod terminat naturam, non dicit infinitam perfectionem; imo nec perfectionem explicat in illo formali conceptu relationis.

II. Deinde, quia non est inconveniens, quod forma superior eminenter contineat infinitas formas inferiores, et tamen in se finita sit. Sicut sol eminenter continet in sua virtute infinitos effectus inferiores, quod producere potest, et tamen formaliter est aliquid finitum in se. Ergo similiter non repugnabit dari aliquam personalitatem superioris, et eminentioris ordinis, quæ contineat virtutem personalitatum inferiorum, et sic possit terminare inferiores naturas, licet in se finita, et creata sit.

III. Tertio, non implicat contradictionem, quod ea, quæ naturaliter sunt determinata ad unum effectum, vel terminum, possint de po-

tentia absoluta terminari, et extendi ad plura. Sicut idem corpus, quod adæquate terminatur uno loco, potest de potentia absoluta esse in diversis, et idem accidens poni in diversis subjectis, et eadem forma in diversis materiis, quia hæc omnia licet terminent naturaliter aliquam naturam, vel terminum, tamen secundum potentiam obedientialem possunt extendi ad plura, quia hoc ipsum postulat eorum essentia. Et saltem dato, quod sit implicatio terminare simul duas naturas, non tamen successive, ita quod prius terminet unam, et postea aliam, destructo priori termino, seu natura.

IV. Denique, cum terminare naturam non sit aliquod genus causalitatis effectivæ, aut alterius actualitatis, quæ fundetur in aliqua virtute, seu perfectione, sed sit pura terminatio subsistentiæ, non apparet quam majorem perfectionem debeat habere personalitas ad terminandam propriam naturam, quam alienam.

V. Propter hoc difficile visum est propriam implicationem hujus rei adducere. Et in illa tradenda divisi sunt auctores. Nam Suarez hic disput. xiii, sect. iv dicit, quod personalitas divina propter infinitatem suam, non est modus, sed res quædam perfectissima; personalitates autem creatæ sunt modi. De ratione autem modi est, ut non possit separari a re cum qua identificatur. Si autem personalitas creata distingueretur a natura tamquam res, et non tamquam modus, fatetur se non invenire implicationem in eo, quod terminet alienam naturam. Sed præter quam quod est certum subsistentiam creatam esse modum, et non rem, adhuc restabat patri Suarez, reddere rationem, cur non possit fieri aliqua personalitas creata ita perfecta,

quod sit res, et non modus; et sic possit communicari alienæ naturæ; hoc enim est, quod inquirimus.

VI. Alii, ut Lorca hic disput. xxiii, existimant nullam rem ordinatam ad componendum, et uniendum se cum alia, posse terminare, seu informare alienam naturam, vel materiam; et ita negat posse formam informare aliam materiam, quam propriam; quod certe difficile est. Cur enim non potuerit Deus meam animam alteri corpori infundere, sicut per alimentum successive novas partes actualat?

VII. Ut autem salvet, quod subsistentia divina possit alienam naturam terminare, dicit id esse, quia continet eminenter omnem subsistentiam creatam, propter infinitatem suam, quod non habet creata subsistentia. Et hæc ratio a plerisque traditur; sed non solvit instantias allatas: de hoc enim inquirimus rationem, cur non poterit dari aliqua subsistentia creata, quæ licet non contineat omnes subsistentias creatas, quia infinita non est, contineat tamen aliquas sibi inferiores, et pro illis possit subrogari, terminando alias naturas.

VIII. Quod vero alii dicunt non posse subsistentiam creatam, per modum causæ principalis, terminare aliam naturam, quia hoc excedit facultatem creatam; terminare autem per modum causæ instrumentalis, non habet locum: hoc enim manifeste petit principium: de hoc enim dubitamus cur non possit dari aliqua personalitas creata, ita perfecta, quod per suam virtutem possit terminare alienam naturam, sive simul, sive successive; et sic manet diminuta implicatio Vazquez disp. xxv, cap. iii, et Alvarez disp. xviii, quos alii sequuntur.

RESOLUTIO DIFFICULTATIS.

IX. Dico implicationem sumendam esse ex ratione D. Thomæ, quia subsistentia creata infinita non est. Supponendo tamen naturam ipsius subsistentiæ, quæ proprie non est forma actuans, sed terminus, et complementum naturæ: de ratione autem hujus termini creati, et finiti est, quod limitetur ab illa natura, cujus terminus est, et a qua resultat, ita quod extra illam naturam non possit terminare. Sicut implicat aliquod totum inveniri et communicari extra suas partes, quia ab illis resultat, et specificatur, ac limitatur ab ipsis. Subsistentia autem se habet tamquam terminus constituens ipsum totum incommunicabiliter. Et sicut existentia hominis ita limitatur ab homine, quod non potest esse causa equi, vel lapidis; sic subsistentia unius naturæ non potest esse terminus alterius, quia limitatur, et specificatur ex illa natura, cujus terminus est. Quod ut possit clarius penetrari

X. Advertendum est, quod subsistentia, et existentia cum de se sint generales modi substantiæ, vel entis, non accipiunt speciem, et limitationem nisi a natura, quam terminant, et actuant: neque enim se habent, ut formæ per modum actus primi, cujus officium est dare speciem rei; existentia autem, et subsistentia, non dant speciem, sed supponunt naturam constitutam et illam terminant, seu actuant. Unde totam limitationem, et specificationem habent a natura, quam terminant, et ita existentia hominis non aliter limitatur, et specificè distinguitur ab existentia equi, nisi quia illa est existentia hominis, ista vero equi.

XI. Quare sicut nulla natura cre-

ata, quantumcumque perfecta, potest habere nisi unam speciem, et essentiam, nec potest eminenter continere species aliarum naturarum, quia hoc est proprium Dei, qui est causa plena, et perfecta aliarum rerum, et ita continet illas; ita neque aliqua subsistentia creata potest perfectionem, et speciem aliarum subsistentiarum continere, quia non dicitur una subsistentia perfectior altera, nisi in quantum est subsistentia perfectioris naturæ. Sicut ergo natura creata, quantumcumque perfectior, non potest continere totam perfectionem alterius naturæ; ita neque subsistentia, et existentia illius poterit perfectiones aliarum continere, neque vices illarum potest supplere terminando alienam naturam, quod magis ex solutione argumentorum patebit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XII. Ad primum ex Scoto dicitur formam superiorem continere ea, quæ sunt in inferioribus dispersa sub altiori ratione: sed hoc aliter se habet in forma creata; forma enim creata nunquam potest esse ita eminentior aliis, quod contineat omnem perfectionem inferiorem, nec eorum speciem, et naturam, neque in ratione entitatis, seu actualitatis, nec in ratione causæ. Implicat enim rem creatam in sua entitate, non limitari per genus, et differentiam, tamquam per terminos, quos non excedit; et si sit singularis, per differentiam individualem: unde in ratione entitatis nihil habet, nisi intra illos terminos.

XIII. Similiter in ratione causæ non potest eminenter continere totum, quod pertinet ad naturam, et entitatem rei inferioris, quia nihil est causa totius entis, quantumcumque minimi, nisi primum ens,

a quo solum res aliqua potest anihilarī, et consequenter ab illo dependet quoad totum suum esse. Ergo cum subsistentia sit terminus naturæ creatæ non potest majorem perfectionem habere, quam natura, cujus est subsistentia, quia ab illa habet determinatam speciem, et perfectionem. Ergo non potest habere perfectionem alterius subsistentiæ, et loco illius subrogari, quia eandem habet limitationem, quam natura, cujus est subsistentia, nec potest ad alteram speciem, vel individuationem extendi; sicut nec natura cujus est subsistentia alteram naturam continet. Subsistentia autem divina terminat naturam divinam, quæ continet omnium naturarum perfectionem, et sic subsistentia ejus eminenter terminare potest omnem naturam, quia terminando naturam divinam in ea omnium, et quarumcumque naturarum perfectiones terminat, quia ibi omnes continentur, et ex hoc redditur apta ad terminandum naturam creatam in proprio genere. Quare eo modo qua natura, quæ terminatur a subsistentia, perfecta est, et continet aliarum naturarum perfectiones, vel non continet, sic subsistentia illius potest terminare, vel non potest alias naturas. Et oportet, quod contineantur quoad totam perfectionem in illa natura, ut a subsistentia terminari possit, quia subsistentia totam naturam terminat, non partem. Et per hæc patet ad secundum argumentum.

XIV. Ad tertium respondetur, quod admissis omnibus illis exemplis, est dispar ratio de subsistentia, et existentia, quia isti sunt essentialiter termini naturæ, neque habent aliam determinationem, et specificationem, quam a natura, cujus sunt termini, ut dictum est: unde si ad aliam naturam extenderentur amitterent suam specificationem.

Ea vero quæ afferentur in argumento, sunt formæ, vel naturæ habentes suam speciem, et determinationem ex se ipsis, quia tales formæ sunt. Unde ex eo quod extendantur ad alia, a quibus specificationem non habent sed materialem extensionem, non amittunt determinationem, seu speciem, sed solum variantur termini materiales, qui naturaliter sibi præfixi sunt, non essentialiter.

XV. Subsistentia autem, quia est terminus naturæ, nec habet aliud a quo specificetur, et determinetur, quam ipsa natura, cujus est terminus, si illam excederet, et terminaret aliam naturam, excederet suam limitationem, seu specificationem. Subsistentia autem divina non excedit, quia terminando naturam divinam eminenter terminat ibi omnem naturam, quia tota perfectio naturarum in divina natura terminatur.

XVI. Ad ultimum respondetur, quod licet terminare, non importet causalitatem in subsistentia, neque efficientiam circa naturam, importat tamen dependentiam essentialem a natura, quam terminat, quia ab illa specificatur, et limitatur; et ideo non potest pluribus communicari, ne excedat limitationem suam, et specificationem. Nec potest subsistentia, aut existentia creata separari a natura, quia non est forma illi inhærens, sed actu terminans; et in hoc consistit ejus essentia, solum in exercitio terminandi, quia subsistentia datur ut aliquid in exercitio reddatur incommunicabile ulteriori termino; unde non possunt separari a suis naturis, quia separarentur a suo exercitio.

ARTICULUS II.

Utrum natura humana sit terminata immediate per aliquid relativum, vel per aliquid absolutum?

I. Ex his, quæ diximus in materia de Trinitate secundo tomo, prima parte supponimus, præter divinam naturam, et existentiam ejus, quæ est de conceptu intrinseco talis essentia, dari in Deo tres subsistentias relativas, quia dantur tres Personæ, ut fides docet; nec possunt illæ constitui nisi tribus personalitatibus relativis. Personalitates autem nihil aliud sunt, quam subsistentiæ in natura intellectuali. Et præter istas subsistentias relativas incommunicabiles, datur etiam in ipsa essentia subsistentia absoluta communicabilis tribus relativis; et ideo quia communicabilis non est Persona, dicitur tamen subsistentia, quia constituit essentiam per se existentem, licet non incommunicabilem, quæ omnia ibi late probata sunt, et ideo hic supponenda.

II. His suppositis, fuit sententia Durandi unionem humanitatis per se, et immediate factam esse ad subsistentiam absolutam Dei; mediate autem, et secundo ad proprietatem relativam Filii. In quam sententiam inductus fuit, quia existimavit proprietates relativas non esse subsistentiam; sed rationem subsistentiæ in Deo esse unicam, et absolutam; proprietates vero relativas solum dare incommunicabilitatem, quæ est proprietas personalis; subsistere enim dicit in Deo perfectionem, quia importat modum existendi per se, et supponit in humanitate duas uniones, primam ad subsistentiam, quia primo humanitas reddita est subsistens, licet ex vi hujus unionis nulla Persona de-

terminate dicitur homo, sed ex secunda, qua unita est humanitas proprietati Filii potius quam Patris.

III. Hanc sententiam omnes theologi rejiciunt et ad minus improbabilitatis nota inurunt, præsertim propter verba Concilii Toletani VI et XI, in confessione fidei, ubi inquit: « Solus Filius formam servi accepit in singularitate Personæ, non in unitate divinæ naturæ, in id quod proprium est Filio, non quod commune Trinitati. » Et videri etiam possunt verba sextæ Synodi, actione VIII, ubi ex Dionysio XI, de divinis nominibus refertur: « Quod Pater, et Spiritus nihil in incarnatione habent commune, nisi benignissimam voluntatem. » Sic ergo constat ex Conciliis unionem non esse factam in aliquo communi toti Trinitati, qualis est illa subsistentia absoluta, sed in sola proprietate Filii.

IV. Et ratione, quia si fieret unio in aliquo communi, illud quod est communi toti Trinitati, esset homo, quia nihil aliud est Deum esse hominem, quam habere sibi unitam humanitatem: ergo si id quod est commune Personis est homo, non solum Filius est homo, sed etiam hic Deus communis Patri, et Spiritui sancto, quod aperte negant Concilia.

V. Cum hac sententia Durandi confundunt Vazquez hic disp. XX, cap. II, et Suarez disp. XII, sect. II sententiam Capreoli, Victorie, Soto, imo et omnium Thomistarum (inquit Suarez) qui dicunt unum tantum esse existentiam absolutam dari in Deo, et humanitatem Christi dicunt habere existentiam increatam, non propriam: unde inquit, solum possunt differre a Durando, vel quia mutant ordinem unionis, quia Thomistæ dicunt unionem primo esse factam ad proprietatem relativam Verbi, et secundo ad existentiam;

vel quia differunt in nominibus : quod enim Durandus dixit dependere in subsistendo, Thomistæ dicunt in existendo.

VI. Sed immerito, et irrationabiliter probabilissimam Thomistarum sententiam, cum improbabilis illo sensu Durandi confundunt hi auctores. Neque enim Thomistæ duas uniones ponunt in humanitate, alteram ad personalitatem Verbi, alteram ad existentiam, ut communis est toti Trinitati, sed solum ut modificatur ad Personam Verbi ad quam unita unio facta est, quæ ex consequenti tangit existentiam divinam, ut in Verbo, non ut communiter se habet ad totam Trinitatem.

VII. Et sic S. Thomas hic articulo secundo expresse dicit : « Quod secundario potest dici, quod etiam natura assumpsit naturam ad sui personam, et secundum hunc modum dicitur natura incarnata, quæ est locutio Damasceni, libro III fidei, cap. VI. » Et expresse dicit Concilium Tridentinum, sess. XIII, cap. III : « In eucharistia divinitatem, propter admirabilem ejus cum corpore, et anima unionem hypostaticam, per concomitantiam poni. » Si ergo unitur divinitas mediante Persona Verbi, quid mirum, quod etiam mediate uniatur existentia ?

VIII. Sed inquires uniri divinitatem, et existentiam materialiter, et identice. Thomistæ autem dicunt existentiam, ita formaliter uniri humanitati, quod terminet existentia ejus ipsam naturam, si quidem dicunt existere formaliter per existentiam increatam ; ergo non solum unitur identice, et materialiter, sicut divinitas, et attributa, sed formaliter per terminationem illius. Cæterum tota hæc terminatio existentia, quam non negamus non fit per distinctam unionem, neque ad ipsam immediate existentiam, ut communis est toti Trinitati, sed fit

immediate, et per unicam unionem ad Personam Verbi, et mediante ipso Verbo ad existentiam, ut est proprius actus Personæ.

IX. Unde dicit D. Thomas infra quæst. XVII, art. II ad secundum : « Quod illud esse æternum Filii Dei, quod est divina natura, fit esse hominis, in quantum humana natura assumitur a Filio Dei in unitatem personæ. » Notentur illa verba illud esse quod est divina natura, ubi non reputat inconveniens D. Thomas fieri unionem ad esse naturæ divinæ, non immediate, sed mediate solum, in quantum assumitur in unitatem personæ, et sic existentia non terminat immediate aliquam unionem : neque etiam solum identice, et materialiter unitur humanitati, sicut attributa, et divinitas, sed formaliter mediate, non immediate est ad personam, ex consequenti, et mediate est ad ipsum esse personæ, eo quod in sententia D. Thomæ existentia est proprius actus personæ, per quam ipsum suppositum, et natura ejus redditur existens. Hoc autem longe distat a sententia Durandi, quæ posuit unionem immediate fieri ad subsistentiam absolutam, aliam vero dari ad relativam Filii. Nos autem dicimus unicam dari unionem ad Personam Filii, quæ mediate, et ex consequenti terminatur ad existentiam, non absolute, sed ut modificatam, et contentam in relatione Filii.

X. Concludimus ergo, nullam unionem dari immediate terminatam ad aliquid absolutum, ut absolutum est ; sed solum ad Personam relativam Filii, ubi est tota ratio terminandi illam unionem. Solum enim id, quod est proprium Filii, non vero aliquid commune toti Trinitati, assumpsit naturam humanam. Et sic tales uniones ad aliquid

absolutum, ita quod illud assumpsit naturam humanam, omni fundamento carent, quia semper salvanda est illa propositio : Solus Filius assumpsit naturam humanam. Existentia vero, quæ mediante personalitate unitur etiam naturæ, non dicitur assumpsisse naturam, sed assumptam a persona reddere existentem.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XI. Ad objectionem Durandi patet ex dictis, quod in Deo non solum est subsistentia absoluta, sed etiam tres relativæ, quæ sunt tres personæ, et sic subsistentia Filii relativa terminat humanitatem.

XII. Et cum dicitur subsistentiam dicere perfectionem ; non autem datur triplex perfectio ; ergo neque triplex subsistentia, respondetur nego consequentiam, quia mutatur quid in aliquid, et est defectus appellationis. Sicut non valet : Sunt tres Personæ divinæ, et persona dicit esse increatum, et divinum : ergo sunt tria, vel tres divinitates. Dicimus enim, quod relatio divina includit perfectionem in ratione personæ, et multiplicatur relatio ut opponitur suo correlativo, non ut perficitur in se, quia in ratione perfectionis non opponitur, et tota multiplicatio solum fit sub conceptu oppositionis, seu perfectionis, et mutatio istarum formalitatum, seu conceptuum mutat appellationem, et sub una ratione multiplicatur, non sub alia.

XIII. Instabis : Nam etiamsi essentia divina sit communis, tamen prout in Patre est ratio generandi, non prout in Filio : ergo similiter non repugnabit, quod subsistentia absoluta, non ut communis, sed prout in Filio, sit ratio terminandi

humanitatem, non personalitas relativa ; alias Christus ut homo diceretur relatus ad Patrem, et analogice esset persona cum aliis hominibus.

XIV. Respondetur negando sequentiam, quia generare est actus notionalis, cujus principium quod est persona ; principium autem quo est natura, seu forma, quæ est ratio agendi, et producendi sibi simile. At vero terminare personam ipsam humanitatem non est actio in humanitatem, sed purus terminus, et ideo id, quo fit talis terminatio, non est ipsa natura, seu forma, sed personalitas ipsa relativa, quæ est subsistentia Filii ; hæc enim formaliter terminat. Neque ex hoc facit humanitatem relativam ad Patrem, sed solum persona opponitur Patri, non ipsa natura. Sicut nec ipsa natura divina redditur relata, et opposita Patri, quia terminatur intime subsistentia relativa. Quod vero analogice sit persona cum aliis hominibus, etiam sequitur si immediate uniatur subsistentiæ absolutæ, quia hæc etiam divina est.

ARTICULUS III.

Utrum plures Personæ divinæ possint terminare eandem numero humanitatem ; aut plures humanitates ab eadem Persona assumi ?

I. In utroque casu resolutio D. Thomæ est affirmativa hic articulo VI et VII ; sed in primo casu fere tota est difficultas, quia quælibet Persona divina est terminus adæquatus naturæ, quam assumit, si quidem relinquit illam plene satiatam, ita quod non appetit propriam personalitatem ; ergo non poterit ab alia personalitate divina assumi, quia non potest idem simul terminari duobus terminis totalibus adæqua-